



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

Conclvsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

honoraris. verissime, aut mundus fallitur aut Tu sapientia Dei quia valde diuersa eligitis. Iste immanes multitudines populorum, Tu paucas & electas personas funeri tuo adhibendas censuisti.

Domine Deus quid faciam funeri meo? quem sequar modum? imitabor te, Tu tuis amicis id negotium permisisti, & ego id permittam executoribus Testamenti mei. vel si id non comparuerit tuæ sanctissimæ dispositioni, & humanæ voluntati sic te vtrumque imitabor. Animam tamē meam semper in manus tuas, Domine, commendatam esse volo.

CONCLUSIO.

Hic siste anima mea, hic siste sanguine Christi sponsi tui redempta. Ecce iam ad stationem, emensoque mari rubro ad portum, per Passionum eius decursus, venisti: sede nunc tecum, & paulisper quiesce, & tecum, quæ vidisti, audisti, & sensisti reperi. pretium redemptionis tuæ triginta denariorum in cordis tui thesaurum absconde, quia pretium sanguinis est & salutis animarum: horror eius in horto peccati horrorem incutiat, humiliter procidendo iam ad pedes Crucifixi Dei tui implorea eius misericordiam, ac dic: Ignosce mihi obsecro, ô mare misericordiarum & salua me propter nomen sanctum tuum. Credo enim nulla delicta tam graua & enormia esse, quæ meritis sanctissimæ Passionis tuæ expiari non possint. Dulcis Iesu, Ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam charitatem, qua tu Deus æternæ Maiestatis, homo passibilis pro nobis fieri & plusquam triginta tres annos, inter multiplices labores, ærumnas atque persecuciones fatigari non dedignatus es. Offero illum mœrorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis in terra genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas quando te ipsum inimicis tuis ultro obtulisti captiuum. Offero vincula, verbera impropria,

conu-

conuitia, blasphemias, alapas, colaphos, sputa, atque alia genera iniuriarum quas in domo Annæ & Caiphæ per totam noctem passus fuisti. Hæc tibi offero gratias agens rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animam meam plene purifices & ad vitam æternam perducas. Dulcis Iesu Ego pro vniuersis iniquitatibus meis, offero tibi inauditam illam ignominiam, quam sustinuiſti quando cæsus, ac victus mane ducebaris ad Pilatum: deinde a Pilato ad Herodem, rursumque ab Herode ad Pilatum es traductus offero illud sanctum silentium, quo humiliter tacuisti ad illatas contumelias & iniurias, Offero contemptum tui & ridiculæ vestis probum, quo a Herode affectus fuisti. Offero acerbissimam illam afflictionem, quam perpeſsus es, quando ad columnam religatus dirè flagellabaris. Offero ipsorum flagrorum insultus & purpurei sanguinis riuulos, è sanctissimis membris tuis vndique proſilientes. Hæc & cuncta alia à me in his 4. Aulis Passionis cogitata & scripta item ab alijs Doctoribus & SS. meditata, tibi offero & gratias ago, rogoque immensam pietatem tuam, vt horum omnium meritis animam meam plene purifices & ad vitam æternam perducas. Maxime vero offero tibi ineffabilem illam humilitatem ac patientiam quam exhibuisti; quando veste coccinea ad maius ludibrium indutus spinis coronabaris, ironice salutabaris, impie conſpuebaris alapis & arundine lædebaris, ante tribunal statuebaris, iniuste damnabaris, demumque ad Caluarie locum, Crucem propriam baiulans, ignominiose protrahebaris. Offero tristem illam sanctissimi corporis tui fatigationem, atque humerorum tuorum grauissimam pressuram. Offero sudores, sitim, & cætera omnia, quæ mitissimo, promptissimoque corde mei causa tunc pertulisti. Hæc tibi offero gratias agens rogansque immensam pietatem tuam, vt horum meritis animam meam plene purifices & ad vitam æternam perducas. Dulcis Iesu Ego pro vniuersis sceleribus meis offero tibi atrocissimos illos dolores

quos

quos passus es, quando sanctissimi corporis tui vulnera vestimentorum detractioe innouabantur, quando manus & pedes Cruci affigebantur, quando membrorum tuorum compages soluebantur, quando pretiosus sanguis tuus è vulneribus sacris, velut è fontibus, largiter profluens, fundebatur in remissionem seu ablutionem omnium peccatorum offero singulas rosei illius sanguinis guttas, offero inexplicabilem mansuetudinem atque benignitatem tuam, qua iniquorum tibi insultantium proteruiam patientissime tolerasti, tamen mitissime pro eis Patrem orasti: Hæc tibi offero gratias agens, rogoque immensam pietatem tuam, vt per hæc animam meam plene purifices & ad vitam æternam perducas.

FINIS PASS. DOMINI SECUNDUM IOANNEM
sive Aulæ IV.

